



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Capvt VI. Sæuire sectarios maximè solere cùm præualuerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

res qua iustitiæ fundamenta subuertunt, quæque per blandiloquentiam & assentationem corda seducunt innocentum, iustitiæ & pietatis nomen imponunt. Nos ergo persecutores corporum vocant, se verò grauiores multò persecutores animarum, & trucidatores esse non agnoscunt.

## CAPVT VI.

*Sauire ipsos sectarios maximè solere cùm  
preualuerint.*

ET ijdem tamen sunt, quos vbi seculari potentia valere contigerit, acerrimos etiam corporum bonorumque omnium persecutores, & oppressores violentissimos patimur. Quid enim non eorum passim, vbi superiores euaserunt, Ecclesiasticarum opum inexplibilis auaritia rapuit? Quæ non sacra, violenta inuasit impietas, atque scædauit? Quæ non humanitatis iura violauit, fera nimis & inaudita crudelitas? Nulla denique fuit Circumcellionũ vis atque scæuitia, quam non isti quibusdam in locis propemodũ persequendo superauerint, aut certè æquauerint. Memorabile nobis theatrum crudelitatis ante pauculos annos vicina exhibuit Gallia: vbi aut terræ viuos infodere Catholicos, aut eorum paruulas adhuc proles discerpserunt, aut euiscerarũt Sacerdotes, aut abstractam capitis pellem refixere clauis, aut (quod nequit sine ingenti animi horrore cogitari) resecta impudenti crudelitate genitalia, deuorari à miseris coegerunt. Nam reliqua erant vulgaria, strangulationes, confossiones, submersiones, carceres, contumeliæ, & verbera. Apertè vt in istiusmodi hominibus (si homines tamen sunt, & non feræ crudelissimæ) locustas illas agnoscere liceat, de quibus scriptum sic est in Apocalypsi: Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, &

*Apoc. 9.*

ee

super



super capita earum tanquam coronæ similes auro; & facies earum tanquam facies hominum: & habebant capillos sicut capillos mulierum; & dentes eorum sicut leonum erant: & habebant loricas sicut loricas ferreas; & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum: & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum. Quibus in verbis quis non protinus, si paululum attenderit, hæreticos significatos intelligat; quorum & quasi humanæ facies sunt, propter primam simulationem humanitatis; & leonini tamen dentes, propter inclusam, quæ se post exeret, feritatem; & auro coronæ similes, propter fallacem imitationem Ecclesiæ; & loricae ferreae, quod eorum obstinatissimæ mentes nullis sese sinant veritatis iaculis penetrari; & capilli mulierum, propter carnis curam, proiectasque in voluptatē cogitationes? Eisdem & postea Ioannes per equos significat, quibus sunt leonina capita ad sæviendum, vimque faciendam in persecutione. Quorum, ait, de ore procedit ignis, fumus & sulphur; propter blasphemias, ignitaque tela perniciosi sermonis. Nam potestas equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum. Etenim caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & his nocent. Caudas porro, hæreticorum ministros intelligit. Propheta enim docens mendacium, hic est cauda. Capita verò caudarum (interprete Augustino) mundi sunt principes. In his igitur & caudis, & capitibus vis inest ad nocendum maxima: siue cum falsi prophetæ docendo seducunt; siue cum ab ijs corrupti & incitati principes, etiam terrendo & torquendo ad mala facienda compellunt.

*Apoc. 9.**Ibidem.**Isai 9.**Hom 7. in  
Apoc.*

CAPIT